31

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS

SISTENS

OBSERVATIONES QUASDAM DE VARIIS ET MIRIS SYMPTOMATIBUS EX NIMIA SYSTEMATIS NERVOSI MOBILITATE ORIUNDIS

QUAM

AUTHORITATE ET CONSENSU
ILLUSTRISSIMORUM PERILLUSTRIUM
MAGNIFICORUM SPECTABILIUM, CLARISSIMORUM
VIRORUM,

REVERENDISSIMI PERILLUSTRIS AC MAGNIFICI DOMINI

UNIVERSITATIS RECTORIS,

ILLUSTRISSIMI, MAGNIFICI AC CLARISSIMI
INCLYTÆ FACULTATIS MEDICÆ,

DOMINI PRÆSIDIS,

PERILLUSTRIS, MAGNIFICI AC CLARISSIMI
INCLYTÆ FACULTATIS MEDICÆ

DOMINI VICE-PRÆSIDIS,

PERILLUSTRIS, SPECTABILIS, ET CLARISSIMI INCLYTÆ FACULTATIS MEDICÆ

DOMINI DECANI,

D. D. SACRÆ, CÆSAREÆ, REGIÆ, APOSTOLICÆQUE
MAJESTATIS CONSILIARIORUM, ET ARCHIATRORUM,

NEC NON

CLARISSIMORUM D. D. PROFESSORUM,
VENERABILIS D. SENIORIS, ADEOQUE TOTIUS AMPLISSIMI
D. D. MEDICORUM COLLEGII,

PRO GRADU DOCTORIS

ET ANNEXIS EI PRIVILEGIIS LEGITIME CONSEQUENDIS

PUBLICÆ DISQUISITIONI COMMITTIT

ANSELMUS FRANCISCUS HEUSCHEN,
RHENANUS MOGONUS A. A. L. L. ET PHILOSOPHIÆ
MAGISTER.

DISPUTABITUR TEMPORE CONSUETO

IN UNIVERSITATIS PALATIO
DIE MENSIS MARTII M. DCC. LXIII.

EMINENTISSIMO

AC

CELSISSIMO

PRINCIPI

DOMINO DOMINO

FRANCISCO

CHRISTOPHORO

S. R. E. CARDINALI PRESBYTERO

S. SEDIS SPIRENSIS EPISCOPO

PRÆPOSITO WEISENBURGENSI

S. R. I. PRINCIPI &c. &c.

DOMINO DOMINO

CLEMENTISSIMO.

Digitized by the Internet Archive
in 2019 with funding from
Wellcome Library

https://archive.org/details/b30761049

EMINENTISSIME
AC
CELSISSIME
PRINCEPS
DOMINE DOMINE
CLEMENTISSIME.

Summus, in quo DIVINA PROVIDENTIA TE collocavit Dignitatis Gradus, & inſignis ille ſplendor, qui eidem acceſſit, dum SACRAM PURPURAM, ut condignum pro TUIS in ECCLESIAM & IMPERIUM MERITIS præmium recepiſti; merito me avocare debuiſſent á propoſito, quod diu mecum volveram, EMINENTISSIMO nempe TUO NOMINI meas medicorum laborum primitias inſcribendi.

Verum animo nunquam delebitur meo Blandiſſimus ille nutùs, quo, dum elapſo anno, ad SACROS PEDES TUOS me devolvere licebat, hoc ipſum meum propoſitum excitare & corroborare dignabaris. Soles enim, quæ MAGNORUM PRINCIPUM proprietas eſt, non ipſam Opuſculi vilitatem expendere, ſed gratum & devotum offerrentis animum PRINCIPALI CLEMENTIA intueri.

Patere igitur, EMINENTISSIME & CELSISSIME PRINCEPS! ut hoc, licet exiguum, Inaugurale ſpecimen, quod TIBI dedicare & conſecrare auſus fui, ad pedes EMINENTISSIMÆ CELSITUDINIS TUÆ ſubmiſſiſſimo animi venerabundi cultu deponam, & ſimul humillime obſecrem, ut ulteriori Clementia me proſequi & fovere non dedigneris.

Ego vero nunquam deſiſtam SUMMUM NUMEN ſuplex venerari, ut TE MAGNUM PRINCIPEM omni Beatitudinis genere ditatum, ECCLESIÆ, IMPERIO, ILLUSTRISSIMÆ FAMILIÆ, & ſubdito TIBI Populo in ſeram usque canitiem velit conſervare, neque nunquam non, quoad ſpiritus meos regit artus, gloriabor audire.

EMINENTISSIMÆ
CELSITUDINIS TUÆ

SERVORUM ET CLIENTUM INFIMUS

* * * * * *
* * *

Ut inter plurimas calamitates, quibus miſera mortalium ſors urgeri ſolet, agmen ducunt labefactati corporis ægritudines, ſic inter has locum certe non infimum obtinent, mira & dira illa ſymptomata quæ ex nimia ſyſtematis nervoſi mobilitate, & nato inde irregulari ſpirituum motu oriuntur.

Tanta enim eorundem eſt frequentia, tam violentus impetus, & tam deteſtata crudelitas, ut non modo quotidie in Praxi Medicis obſerventur, ſed & optima quævis auxilia haud raro reſpuant, tyrannidem ſuam conſtanter exerceant, & adeo miſeros ægrotantes terant, ut nulla fere humana patientia illis par ſuſtinendis reperiatur.

Quin & alios morbos, tam acutos inflammatorios, quam Chronicos perſæpe mentiuntur, nulli corporis regioni parcunt, ipſam mentem in ſuis actionibus turbant, & moleſtiſſima Medicis non minus, quam Ægris tædia pariunt.

Atque hinc Egregius ille Londinenſis Practicus *Thomas Sydenham* (in epiſtola reſponſoria ad *Guilielmum Cole*) non abs ratione pronunciavit, quod, calculo rite ſubducto inter omnes morbos chronicos hæc ſymptomata frequentiſſime occurrant quod morbos illis proprios partibus, in quas deſævit atrocis mali impetus, doloſe imitentur; & quod inter fœminas (ſi modo eas exceperis, quæ duro labore ſe fatigant & ideo robuſtiori corporis habitu gaudent) perpaucæ admodum ſint, quæ ab his affectibus prorſus immunes vivunt.

Solebat quidem omnis retro Antiquitas terribilia hæc mala vitio uteri attribuere; & hinc plerique Veterum ſub generali *hyſtericæ paſſionis* nomine ea deſcripſerunt.

Verum enim vero, licet negari non poſſit, quod ab uteri, aliorumque viſcerum in abdomine contentorum labe, tam horrenda ſymptomata oriri queant; & licet in fœminis inordinato Menſium fluxu laborantibus, nec non in Puerperis, poſt ſubitam Lochiorum ſuppreſſionem, eadem ſæpiſſime obſerventur; conſtat tamen haud infrequenti experientiâ, etiam fœminas, in quibus nullum uteri vitium ſuſpicari licet, imo & virosHypochondriacos, atque illos præſertim, qui vitam agunt ſedentariam, & ſapientiæ ſtudio deditи chartis ſolent impalleſcere, haud raro iiſdem prorſus affectibus exagitari, quibus fœminæ ſic dictæ Hyſtericæ affliguntur.

Quare cauſa horum ſymptomatum, non in utero tantum, ſed potius in univerſo omnium totius corporis nervorum ſyſtemate quærenda eſt.

Confirmare id ipſum videtur, inſignis illa medicamentorum in nervos agentium, Opii præſertim, & Corticis peruviani, in his Paſſionibus, ſi non omnino debellandis, ſaltem, maximo cum ægrorum ſolatio, mitigandis efficacia.

Mihi vero animus non eſt, in ampliſſimo hoc campo

Cohortis indolem, & Curationem, ex integro pertractare.

Id enim ſubtilioribus Ingeniis, & Viris frequentiori experientia inſtructis relinquo.

Sed cum ex Legibus Academicis incumbat mihi ſpeciminis Inauguralis exhibitio; non nihil me facturum credidi, ſi fideli calamo deſcriberem binos Morbos, quos in ſuo decurſu, & variis ſymptomatibus, ob arctam cum illis, qui eosdem ſuſtinebant, neceſſitudinem, exactius mihi licuit obſervare.

Horum Prior exhibet Paſſionem ſic dictam Hyſtericam, ſed quæ ab initio haud aliam cauſam agnovit, quam nimiam generis nervoſi mobilitatem, & natam inde ſpirituum perturbationem, ſucceſſu autem temporis alia quoque mala, ut effectus, produxit.

Poſterior, qui in viro Hypochondriaco ſine materie contigit, ab eadem prorſus cauſa ſuam duxit originem, ſed ſuperveniente febre maligna exanthematicâ, mirabilem omnino, & notatu forte non indignum habuit decurſum.

Uterque vero pulchre, niſi me fallit animus, confirmat, quam exoptatum ſolatium in his affectibus afferrat *Opium* audacter, debitis tamen cum cautelis propinatum; & quam ſtupendam in nervis roborandis, febribusque malignis ſuperandis efficaciam habeat Divinum illud Remedium *Cortex Peruvianus.*

Quod ipſum ſi fidelis mearum Obſervationum ennarratio corroboraverit, & hujus Diſſertatiunculæ ſcopum, & mei deſiderii finem attigi.

En igitur Benevole Lector! diuturni, atrocis, & rebellis Morbi Hiſtoriam.

* * * * * *

Virgo temperamenti Sanguinei, in genere nervoſo valde mobilis, crebris admodum venæ ſectionibus aſſue-

forte juſto validius, ſup ipſa medicamenti operatione, corripitur hæmoptyſi & uteri hæmorhagia.

Inſtituta illico venæ ſectione, eâque paulo poſt repetita, ceſſat quidem ſputum ſanguinis, ſed ejusdem ex utero profluvium ad applicata quævis remedia rebelle non, niſi poſt ſex ſeptimanas, compeſci potuit.

Ab eo tempore menſes ſolito copioſiores experta ſemper fuit, & ſimul per duos fere annos id incommodi habuit, ut, quoties corpus ſubito inflectebat, ſanguinem illico per ſputa rejiceret.

Quarto poſt primum morbum menſe, febrim continuam putridam ſuſtinuit.

Biennio poſt iterum aſſumpſit medicamentum purgans, eo cum effectu, ut & ſputum cruentum, & uteri hæmorhagia recrudeſcerent.

Utraque tamen venæ ſectionibus, & remediis tam interne quam externe adhibitis brevi ſedata fuit.

Poſt hæc aliquo tempore elapſo, pedes illi & brachia intumuerunt, una cum maculis ex rubro, lividis per univerſum corpus conſpicuis; aſſumpto autem decocto lignorum, & mitiſſimo purgante ex Magneſia & ſale ebshamenſi, membra tumore inflata detumuerunt, maculæ evanuerunt, reconvaluit ægra, & per binos annos ſana vixit.

Tandem anno ætatis ſuæ vigeſimo tertio, ſub Hyemis initium, poſt prægreſſam autumnali tempore frequentiorem corporis refrigerationem, perſenſit inſolitam laſſitudinem, cum anxietate, capitis dolore, tuſſicula & reſpiratione difficili; nullam vero medelam præter venæ ſectionem, & infuſum quoddam pectorale adhibuit.

Poſtquam autem hæc ſymptomata per tres fere menſes ægram afflixerant. ſubito illa & ingenti terrore, propter natum in vicinia ſuæ habitationis incendium perculſa fuit; ex quo omnia mala illico augebantur, cum intollerabili anxietate, & ſummâ ſpirandi anguſtia.

Sectâ vena remiſit quidem ſymptomatum vehementia, ſed paulo poſt eadem cum crudelitate recruduit; ſimul ægra triſtis & moroſa animum omnem abjecit, atque medicamentis uti noluit.

Repetita denuo, ob metum ſuffocationis, venæ ſectione, accedebant prioribus malis lipothymiæ adeo frequentes, ut ſpiritu rorismarini excitari continuo debuerit; a fætidis enim ſic dictis antihyſtericis mala omnia exacerbabantur.

In hoc morbi ſtatu, propter evidens periculum, & debitam medelam huc usque neglectam, ſuaſi ægræ parentibus, ut advocarent Celeberrimum quondam in hac civitate Medicum *D. Leopoldum Erndl*, haud ita pridem præmaturo obitu è rebus humanis ereptum.

Ille pulſum deprehendens valde debilem, febris expertem; & ſimul videns urinas prodire pallidas, ſine ſedimento, inſtar aquæ limpidas, præſcripſit varia medicamenta nervina, & antispaſmodica, atque ſimul juſculis nutrientibus ſæpe, ſed parciori copia datis, vires exhauſtas refocillare ſtuduit.

Ceſſaverunt inde animi deliquia, ſed mirabiles ſpaſmi, & vagi dolores vix non omnes corporis partes ſumma cum crudelitate invaſerunt; modo enim conquerebatur ægra de ingenti dolore oculorum, modo dentes ſibi excidere, modo aures, modo nares, modo alias corporis partes intollerabili cruciatu exagitari lamentabatur, ita ut nulla fere totius corporis pars a vago, & atroci illo dolore prorſus immunis fuerit, in abdomine autem fixus & inexplicabilis ſævitiem ſuam perpetuo exercuit.

Muſculi in facie locati ſæpe convellebantur, & riſum exhibebant ſardonium, nec infrequenter pedes & femora afficiebantur ingenti tremore, & niſi affecta membra ab adſtantibus valida preſſione continebantur, ſuccedebant validæ per univerſum corpus Convulſiones.

Odores pleroſque ſine malorum exacerbatione ferre non potuit, illum autem, quem ſpargit charta accenſa, bene tulit, & ipſa petiit, quare & eadem pro ſuffimigio utebantur.

Cæterum triſtis & impatiens, variisque animi pathematibus agitata, modo riſit, modo flevit, ſæpe & deliravit; debilitas autem tanta fuit, ut artus movere haud potuerit.

Cum igitur applicata hactenus medicamenta optato effectu caruiſſent, cogitavit optimus Medicus de roborando corpore per corticem peruvianum; & ut fixus ille, ad alia artis adminicula cedere neſcius dolor in abdomine ſaltem mitigaretur, ad imitationem pulcherrimæ curationis, quam enarrat *Illuſtriſſimus L. B. van Swieten* in Commentariis ad §. 28. juſſit univerſo abdomini latam faſciam circumduci; quo facto rebellis ille, de quo tanta hucusque lamentatio fuerat, dolor multum remiſit, ſed vagi dolores per reliquas corporis partes eadem cum vehementia deſævierunt.

Sepoſitis proinde omnibus aliis medicamentis, ſolo cortice peruviano cum ſyrupo diacodii in electuarium redacto uti cæpit; & quoties nimiæ vigiliæ urgebant, vel atrox dolor ægræ patientiam ſuperabat, opium ſimul parciori, ſed repetita doſi deglutivit.

Poſtquam autem per aliquot ſeptimanas, quotidie dimidiam Corticis unciam aſſumpſerat, remiſerunt mirabiles illi ſpaſmi, & dolores, pulſus evaſit fortior, vires redierunt, & ſenſim ita convaluit ægra, ut extra lectum verſari potuerit, ab omni dolore & incommodo libera;

Sed & tunc abhorruit ulteriorem medicamenti uſum, ſolaque laudabili diæta vires integras recuperare ſtuduit.

Hinc curata quidem utcunque fuit, ſed ob medelæ confirmantis neglectum, tanta remanſit ſyſtematis nervoſi mobilitas, ut a leviori animi affectu, vel ingrato ſibi odore illico ſpaſmis, doloribus, anxietate, aliisque ſymptomatibus, brevi tamen evanidis, afficeretur.

Cæterum bono gaudens appetitu, & verno æſtivoque tempore corpus ſalubri motu exercens, per octo menſes ſatis bene ſe habuit.

Verum circa finem ejusdem anni, priſtina ſenſim mala redierunt, cum ſumma animi dejectione, & faſtidio omnem medicamentorum uſum reſpuente; unde & brevi adeo increvit malum, ut animo frequentiſſime linqueretur, vox periret, & tanta eſſet debilitas, ut jamjam interitura videretur.

Atque tunc demum ipſa petiit auxilium.

Memor ego inſignis utilitatis, quam in priori morbo attulerat Cortex peruvianus, aliud medicamentum, præter illum, exhibere ſupervacaneum duxi; præſcripſi igitur idem, quod olim aſſumſerat electuarium, & tempore veſpertino opium ad duo, ſubin & tria grana propinavi.

Elapſis ſub uſu horum remediorum novem diebus, ceſſarunt animi deliquia, rediit vox, & vires increverunt; cumque per binas adhuc ſeptimanas continuaret, potuit è lecto ſurgere; & ſenſim evaneſcentibus, quæ afflixerant, malis, ſibi ſana videbatur: quare ut olim, ſic & nunc medicamentis ultra uti recuſavit; & nihil, præter lac caprinum aſſumpſit; interim tamen vires, cum priſtino corporis habitu recuperavit; & (ſi animi mobilitatem, atque plurimorum odorum & ſaporum impatientiam excipias) integram conſecuta eſt ſanitatem.

Poſtquam autem integrum fere annum â malis gravioribus libera tranſegerat; perſenſit, citra manifeſtam cauſam, obtuſum & valde moleſtum in hypochondrio ſiniſtro dolorem unà cum cordis palpitatione per intervalla redeunte.

Inſtituta venæ ſectio mitigavit quidem malum, non tamen ſuſtulit; aliâ autem medela uti ægra noluit.

Tandem Menſe Auguſto Anni 1761. ob gravem mærorem ab obitu Matris Cariſſimæ conceptum ſubito increvit malum, dolor lateris evaſit atrocior, & palpitatio cor-

xietate, per vices redeuns tanta fuit, ut ſuffocanda videretur; pulſum tamen nec intermittentem, nec inæqualem deprehendi.

Petii proinde, ut in Conſilium rogaretur, *Magnificus Archiater D. Störck*: Cujus in medendo peritiam tota laudat Civitas, & docta teſtantur ſcripta, quæ cum Orbe Erudito communicavit.

Accedens ille commendavit venæ ſectionem, & Rob ſambuci cum ſyrupo diacodii & nitro remixtum. Mitigabatur inde multum cordis palpitatio, ſed vires ob repetitam venæ ſectionem magis perierunt.

Iterum proinde, (annuente ita *Magnif. D Störck*) dedi conſuetum olim electuarium, & noctes opio ad tria, quatuor, & plura grana ſenſim aſcendendo tranquillas reddere ſtudui.

Atque hinc effectum eſt, ut intra quatuordecim dies vires redirent, cordis palpitatio & mitius, & minus frequenter affligeret; atque ægra, pro more ſuo, medicamentis ſe carere poſſe autumaret.

Verum trimeſtri vix elapſo, mala denuo augebantur, intumeſcebat venter, & ſubinde, poſt lancinantis in abdomine doloris ſenſum, effluebat ex uteri vaginâ humor aquoſus, cum inſigni levamine, & tumoris imminutione; antiquo illi in hypochondrio ſiniſtro dolori jungebatur atrox cephalæa; vires conciderunt; anxietas, aliaque ſymptomata peſſime increverunt.

Varia in hoc ſtatu tentata fuerunt remedia, ſed fere omnium vel odorem, vel ſaporem ferre non potuit, aliqua quidem aſſumſit, vomitu autem rejecit: neque dolenti lateri, ob atrocitatem doloris, & ægræ impatientiam cataplaſma, aut aliud remedium applicare licuit.

Unicum, quod aſſumpſit, erat opium; ſed ob perpetuas vigilias & execrabilem dolorum crudelitatem, doſin ejusdem ſenſim & caute aſcendendo; ita augere debui,

cim grana pro unâ vice deglutiret; & tamen vix ſesqui horulam dormiret.

Didiceram enim experientiâ, opium per epicraſin datum in hac ægrâ nihil efficere.

Dolorem capitis applicata retro aures veſicatoria parum mitigarunt, ſed brevi idem recruduit.

Adeoque de die in diem pejor evaſit morbus, ventris tumor notabiliter increvit, manifeſta tamen fluctuatio percipi haud potuit, intumuerunt præterea pedes, manus, & caput, quod in monſtroſam molem attollebatur; in pectore præter frequentem cordis palpitationem, & tuſſiculam inanem, anxietas fuit perpetua, cum reſpiratione difficili, & impoſſibili, ſi in alterutrum latus decumbebat; enormi capitis dolori ſucceſſit gravitas, torpor, & ſomnolentia; quam primum autem ſomni delicias capere incæpit, variis territa inſomniis ſubito iterum evigilavit.

Cum igitur tot & tanta ſymptomata in ægræ perniciem conſpirarent, & ſimul ipſa, ob mirabilem profecto idioſyncraſiam, vix ullum medicamentum poſſet aſſumere, conclamatum de ea eſſe videbatur.

Tamen Rogatus & iterum accedens, quem ſupra nominavi, *Magnif. D. Archiater* mecum concluſit exhibendum eſſe denuo illum, qui toties juverat, corticem.

Nec mora; parari jubeo decoctum ex unciis duabus ſpatio bidui abſumendum; & ecce! poſtquam per integrum menſem hoc remedio uſa fuerat, evaneſcebant ſucceſſive terribilia illa ſymptomata; venter & aliæ corporis partes detumeſcebant; ceſſabat anxietas; & ſpirandi difficultas; caput levabatur; mitigabatur cordis palpitatio; reſtaurabantur vires; & ægra quaſi á mortuis reſurgebat.

Monui tunc illam, vellet hoc decoctum adhuc per aliquod tempus aſſumere, ſed conteſtata mihi fuit, ſine faſtidio & animi commotione id fieri ultra non poſſe.

Solâ igitur laudabili diæta utens, reliquum Curationis

ſapores, quos olim abhorrebat, nunc ferre poſſit, imo verno tempore proxime elapſo ſine incommodo & velociter quidem ambulare, ſaltare, aliaque corporis exercitia peragere potuit, quin vel minimam cordis palpitationem perſentiret.

Verum, quod dolendum eſt, conſtantia huic Curationi defuit, nam circa autumni initium priſtinæ calamitates pro parte redierunt, imprimis moleſta cordis palpitatio, cum vertigine & arteriarum capitis pulſatione; præſentaneum tamen levamen habuit â venæ ſectione, quæ ab eo tempore pluries fuit repetenda.

Catamenia (quod nunquam illi contigerat) haud ita pridem per duos menſes non fluxerunt, & ſimul venter intumuit; nunc vero rediit quidem menſtruus fluxus, ſed ventris tumor non imminuitur; neque ulla medela, ob ægræ moroſitatem, adhibetur.

En tibi, *Amice Lector!* ſinceram mirabilis morbi deſcriptionem; Lubens fateor multa in eo eſſe, quæ cxplicatu ſunt difficillima; neque auſum aliquid quoad genuinam ejusdem indolem, & poſſibilitatem integræ Curationis determinare.

Sufficiat mihi enarrâſſe, quæ vidi, & quid in deſperatiſſimis ſæpe morbis præſtet Cortex peruvianus.

Ad alium igitur Caſum, non minus notabilem deſcribendum tranſeo.

* * * * * *
* * *

Vir quadraginta & aliquot annorum, habitus corporis admodum macilenti; ad animi affectus, iram præſertim, valde pronus; immoderato cereviſiæ potui aſſuetus; â pluribus annis ſingulo mane notabilem muci copiam tuſſiendo, ſæpe & per vomitum, rejiciens; poſt gravem mœrorem ab obitu dilecti Fratris, aliasque ſibi contingentes

adverſitates conceptum, frequentiori ſimul irâ exagitatus, corripitur moleſtiſſimâ vertigine, & perpetuo totius corporis tremore, cum pulſu debili & inæquali, urinâ limpidâ inſtar aquæ, anxietate & triſtitiâ ingenti.

Videns in hoc ſtatu ægrum, præſcripſi mixturam ex Aquâ Meliſſ. Tincturâ ſucc. Laud. liquid. Syd. & ſyrup. Cort. aurant. ante cubitum vero pillulam ex grano uno opii.

Mitigabatur quidem inde morbus, ceſſabat tremor, ſed vertigo, anxietas, & corporis debilitas remanebant; exhibui proinde Corticem peruvianum in pulvere, atque eo per aliquot dies aſſumpto æger convaluit.

Paulo poſt, prægreſſâ iterum fervidiore irâ, iisdem affligitur ſymptomatibus, & eâdem methodo ſanatur; quod & tertiâ vice contigit.

Cogitavi tunc de roborando corpore, per ferrum in vino medicato ſolutum, ſed ingentes anxietates, aliaque moleſta ſymptomata, quæ id aſſumptum ſequebantur, ulteriorem hujus medicamenti uſum diſſuadebant.

Hinc, dum quartâ vice idem redibat morbus, ſtatim exhibui corticem peruvianum, quem nunc (cum pulveres æger abhorreret) dedi in electuario; ſed cum bonus vir â ſuis curis & triſtitiâ liberari non potuerit, & ſimul, licet monitus, accuratâ minus diætâ uteretur; poſt aſſumptam in cænâ carnem leporinam (quam mane circa ſecundam evigilans vomitu rejecit) prægreſſo horrore, incidit in febrim continuam, cum pulſu celeri, debili, & inæquali; vires tamen primis diebus ita conſtabant, ut extra lectum verſari potuerit, quare & eodem, licet ſæpius rogatus, uti haud voluit, & ſimul uni ſemper cogitationi intentus leviter deliravit.

Cum ſitis eſſet vix ulla, calor non magnus, lingua humida & naturali ſimilis, pulſus tamen debilis & inæqualis, aliud medicamentum, præter Corticem, adhibere nolui,

& quoniam electuarium commode ultra aſſumere non potuit, dedi corticis extractum ad unciam dimidiam ſpatio nycthemeri abſumendam.

Die quarto morbi accedit diarhæa vires admodum conſumens, fæces ægro non ſentiente prodeunt; delirium increſcit.

Petii tunc ab Ægri Uxore, ut advocaret Egregium, quem ſupra nominavi, Medicum *D. Erndl*: Cujus viri præmatura fata, lugent omnes Boni, quotquot illum noverunt.

Caſu rite examinato, & malignitate hanc febrem non carere videns Vir Optimus, medelam â me hucusque applicatam, pro ſolitâ ſuâ humanitate, approbavit; hoc unicum jubens, ut ad compeſcendam nimiam diarhæam per epicraſin exhiberetur opium, & loco pretioſi nimis extracti, decoctum ex unciis tribus Corticis paratum, quo etiam, ut in ſequentibus patebit, per 34. dies ſtrenue uſus eſt; & quoties ſpaſmi abdominales, anxietates, & alvus frequentior urgebant; granum opii illico attulit levamen.

Die quinto morbi, & ſequentibus usque ad decimum ſeptimum, urinæ excernebantur rubræ, ſæpe & pallidæ, atque omnes ſine ullo ſedimento; diarhæa quidem moderabatur, ſed fæces clam prodibant; debilitas erat ingens; delirium perpetuum, & videbatur æger uni ſemper cogitationi intentus eſſe, rogatus autem apte haud reſpondebat.

Pugnabatur ergo medicamentis ſupra memoratis, & ob inſignem debilitatem, ſub axillis & genubus applicabantur ſpongiæ vino calido madidæ.

Die decimo ſeptimo urinæ erant naturalis fere coloris, cum laudabili ſedimento.

Die vigeſimo diarhæâ criticâ fæces flavæ & coctæ excernebantur, atque ſimul in lumbis percipiebantur Mi-

liaria alba, quæ & altero die copioſius prodibant in abdomine & pectore, paulo poſt autem pro parte iterum evaneſcebant, cum ingenti anxietate, & pulſu contracto, admodum inæquali ſequentibus.

Data igitur fuit Mixtura ex Acet. deſtill. & Camphorâ, qua binis vicibus áſſumpta, pulchre prodierunt tam alba, quam rubra Miliaria, cum ſummo ægri levamine, nec illâ mixturâ porro opus fuit.

Die vigeſimo quarto obſervabatur ſudor, & diarhæa critica.

Die vigeſimo ſeptimo, trigeſimo primo, trigeſimo quarto, & trigeſimo ſeptimo ſudor; quo ultimo die pulſus emendabatur, & evadebat fortior, plenior, & æqualis; ſimul incæpit ſenſim ad ſe redire Æger, & quod mirum! Conſcius erat ſui delirii, & rogatus narrabat quibusnam cogitationibus tanta cum ſollicitudine intentus fuerit, eorum autem, quæ cum illo acta fuerunt, non recordabatur.

Diminui ergo doſin Corticis, & exhibui nunc tantum ſesqui unciam in decocto quotidie abſumendam.

Die quadrageſimo ſudor erat ingens, cum magno ægri levamine; miliaria exſiccata disparebant; febris tamen manebat.

Tandem circa diem ſexageſimum & hæc ceſſavit; vires ſenſim redierunt; & æger per aliquot horas de die extra lectum, in ſella morari potuit, quare ab ulteriori Corticis uſu omnino abſtinui.

Pedes tunc intumuerunt; præſcripſi hinc Rob Juniperi, & fomenta ex Herbis Balſamicis cum vino parata, ſed rebellis ille pedum tumor vinci non potuit.

Vires interim ſenſim ita increverunt, ut ſolus in cubiculo obambulare potuerit; appetitus fuit bonus, ſomnus tranquillus, & pulcherrima ſpes integræ Curationis affulſit.

Verum quia novo iterum & graviſſimo mærore affligebatur vir optimus, vires denuo conciderunt; & tandem acceſſit nova febris continua, cum pulſu valde debili, & omni modo inæquali.

Confugi illico ad Corticem, ſed fruſtra; nam ſecundo hujus novæ febris die circa ſeptimam veſpertinam, uxorem ſuam, quam vidit valde contriſtatam eſſe, blandè conſolabatur dicens, nihil ſibi metuendum eſſe, & Medicos, qui illum in periculo verſari pronunciarent, maxime errrare; deinde petiit Cereviſiam, quam, ut ipſe teſtabatur, cum oblectamento bibit, paulo poſt, prægreſſo brevi aliquot minutorum agone, placidiſſimè exſpiravit.

Certe, quoties hunc caſum mecum revolvo, non poſſum ſatis mirari inſignem Corticis peruviani in morbis nervorum, & febribus Malignis præſtantiam; ſed & ſimul quam maxime doleo, quod non potuerim ab Egregio hoc Viro removere perpetuas curas, & mærorem, qui integræ Curationi obſtaculum, & lethalis recidivæ cauſam poſuiſſe videtur . . .

** ** **
* * *

Atque hæc ſunt, quæ obſervare mihi contigit, & quæ fideliter, ac intento ad veritatem animo deſcribenda eſſe duxi.

Negare tamen minime ſuſtineo, quod Multis utriusque morbi Hiſtoria nimis ſuccincta jure videri queat;

Imo quod ipſa rei dignitas uberiorem omnino pertractationem poſtulâſſet.

Sed cum Inſtituta Academica Diſſertationem, non Librum exigant; brevitati ubique ſtudui, & illa tantum, quæ notatu maxime digna mihi viſa ſunt, annotavi; ea quæ

ex his deduci pulcherrima certe poſſunt, perſpicacioribus Ingeniis relinquens.

Fave proin, *Amice Lector!* hisce meis Conatibus; & quidquid minus eleganter conſcriptum deprehendis, partim id tenuitati meæ, partim adverſæ, & inconſtanti admodum valetudini, quâ per Biennium, & quod excurrit, uſus ſum adſcribe.

F I N I S.

COROLLARIA.

I.

Paſſionis Hyſtericæ Cauſa, plerumque eſt nimia Syſtematis nervoſi Mobilitas, & inde nata Spirituum ataxia.

II.

Morbus Hypochondriacus duplex eſt; Alius *cum materie*, ubi nempe Viſcera abdominalia humore atrabilario ſunt inſarcta. Alius *ſine materie*, qui in Corpore cæteroquin puro, ſed debili minis nervorum ſyſtemate inſtructo contingit.

III.

Palpitatio Cordis pro cauſâ plerumque agnoſcit inordinatum & violentum ſpirituum vitalium in cordis villos impetum. *Böerhav. Inſtitut.* §. 826.

IV.

Opium prudenter, & debitâ doſi exhibitum, licet per menſes continuetur ejus uſus, omni noxâ caret. *Illuſtriſſimus L. B van Swieten in Comment. ad* §. 229. ſolent autem Ægri huic remedio ſæpius dato ita aſſueſcere, ut ejus doſis ſenſim augeri debeat.

V.

Cortex Peruvianus eſt Remedium incomparabile in morbis nervorum, & videtur vi quâdam ſpecificâ in nervos agere.

VI.

Idem Cortex in verâ Febrium Malignitate egregium & ſumme neceſſarium eſt auxilium. *Magnif. de Haen. Rat. med. tom. 3. C. 1. & tom. 4. C. 1.*

VII.

Dies Critici in febribus Acutis, ita ut eos deſcripſit *Hippocrates*, etiam hodie noſtris in Regionibus obſervantur, modo Natura intempeſtivo Artis molimine non turbetur, & animus Obſervantis careat præjudicio.